26

Q. D. B. V.

DISPVTATIO MEDICO-PRACTICA

Siſtens

PLETHORAE NATVRAM

ORTVM ATQVE EFFECTVS

QVAM

Rectore Magnificentiſſimo

Sereniſſimo Principe ac Domino,

DN. GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE AC GVESTPHALIAE, RELIQVA.

Benevolo illuſtris FACVLTATIS MEDICAE *indultu*

ad diem 28. Februarii 1728.

publico eruditorum examini ſubmittunt

PRAESES

EMANVEL CHRISTIANVS LOEBER,

M. D. CONS. ISENAC. ET SERENISS. DVCIS SAXO-GOTH. ET ALTENB. MED. PROVINC. CAMBVRGENSIS.

& RESPONDENS

CHRISTIANVS FRIDERICVS LOEBER

Leucopetrenſis.

apud CHRISTOPH. DAVID. WERTHER.



§. I.

PLethora, de qua iam agere nobis propoſitum eſt, originem ſuam ducit a Graecorum πλήθω impleo, & *plenitudinem humorum* denotat, ſumiturque in ſcholis medicis pro *accumulatione ſanguinis boni in corpore ſano circulantis.*

§. II.

Adeoque *Plethora* ſtricte dicta ſemper in corpore maxime ſano exiſtit, & male vulgo diſtinguitur in *plethoram quoad vaſa*, & *plethoram quoad vires.* Illa tantum eſt vera plethora, quae ex abundantia humorum coctorum ſuboritur, ita, vt a motu paulo maiori, in ſtatu ſanitatis, facile periculoſus morbus ob humorum rarefactionem & auctam vaſorum diſtentionem excitetur.

§. III.

Haec autem *plethora quoad vires,* quae corpus grauat, denotat ſolum rarefactionem ſanguinis, a vehementiori liquidorum in corpore commotione prouenientem, qua efficitur, vt vaſa minima & praecipue neruoſa comprimantur atque obſtruantur, & ſic circulatio humoris ſubtiliſſimi ſuffocetur. Vnde neceſſario debilitas ac grauitas corporis ortum ſuum trahunt. Talis plethora falſe ita dicta, plerumque ſe manifeſtat vt ſymptoma febrium acutarum, & non ab abundantia ſanguinis boni, ſed potius a motu febrili & calore nimis adaucto, qui a compacto & valide attrito ſanguine gignuntur, prouenit, & tantum in ni-

mia humorum rarefactione conſiſtit, & ob rationes allatas magis ad ſtatum morboſum quam ſanum referri debet. Iam loquimur de vera ſanguinis boni abundantia, quae in ſanis adhuc corporibus exiſtit, & interdum morbos graviſſimos excitare poteſt.

§. IIII.

Nec diuiſio plethorae vel *quoad vaſa* vel *quoad habitum* eſt neceſſaria, quia nullam vtilitatem habet; ſi enim vaſa ſanguifera ſanguine turgeſcunt, plenaque adparent, totum corpus vero ex meris vaſis conſtructum ac conflatum eſt, inde quoque neceſſario totius habitus corporis ſanguine turget ac floret. *Celeber. Coſchwiz. In Pathol. p. 75.*

§. V.

Plethora itaque de qua diſſerimus, optime hac ratione definitur; quod ſit *abundantia boni ſanguinis, quae neceſſarias & in vita communi ineuitabiles fere mutationes accidentes haud facile ferre poteſt; ſed ſua commotione timorem ſtatus morboſi ſuborientis iniicit.* Hinc quilibet perſpicue intelliget, nos de plethora hic agere, quae vt cauſa προηγουμένη, iam praeexiſtens & inhaerens corpori adeſt, per ſe quidem non ſemper laedit, donec, data cauſa occaſionali ſeu προκαταρκτικῇ, ita excitetur, vt vices cauſae materialis morbi gerat. Ergo plethora per ſe non eſt morbus, varios autem morbos producere valet, & dat tantummodo materiem ad morbum excitandum. A quibusdam medicis quidem deſcribitur, quod ſit plenitudo morboſa ſani ſanguinis, corpus grauans. Quæ deſcriptio quidem non plane reiicienda eſt, quia ſaepe leuis diaetae error copiam boni ſanguinis ad morbum diſponit; attamen ſanum & morboſum in vno circulo ſeu definitione non bene cohaerent. Quam fere eandem ſententiam nobiscum fouet. *Clar. Coſchwiz in Pathol. p. 78.* Ideo a cacochymia, quae quoque conſiſtit in abun-

dan-

dantia humorum, ſed vitioſorum, optime diſtingui poteſt, quippe quae etiam corpus, ratione indolis pariter ac liquidorum paululum commotorum, laedere valet.

§. VI.

Hinc merito mentionem faciamus celeberrimi *Bontekoe* eiusque aſſeclarum, qui nolunt concedere, plethoram tam crebro in homine obuiam aut nociuam eſſe, quam vulgo putaretur: in ſanguine enim conſiſtere vitam, eumque oleum eſſe ſeu balſamum vitae. Propterea in eos aſpere inuehitur, qui frequentiam plethorae aſſerunt, eiusque curationem venae ſectione abſoluere intendunt. Sed ſuperuacaneum arbitramur, cumulare argumenta, quibus clariſſimi *Bontekoe* opinio refutari poſſit, quia quotidiana experientia plane contrarium docet, plethoram nempe paulo fortius commotam multos periculoſos & ſaepe inſanabiles morbos creare, vt in ſequentibus luculentiſſime patebit. Neque tamen negamus, plethoricum per longum tempus incolumem & ſanum viuere poſſe; ſi vitae genus ita moderetur, vt circulatio humorum aequalem & temperatum motum obſeruet; quo facto non videmus, qua ratione plethora corpori graues inducere queat laeſiones, cum nec calefactus ſit ſanguis nec rarefactus. *Bontekoe in chirurgia c. 2. de V. S.*

§. VII.

Licet corpus ſucceſſiue humoribus admodum aggrauetur, vt inde tandem ſuffocatio metuenda ſit: multifariae tamen mutationes in communi vita occurrunt, quibus omnis rarefactio & commotio humorum ineuitabilis ferme eſt, dum adeſt perpetua occaſio errorem in ſex rebus non naturalibus committendi; vt eſculentis, potulentis, animi pathematis, motibus muſculorum auctis; vt & ipſa aeris variatione corpus afficitur, & circuitus liquidorum irri-

 tatur

tatur; imo ſaepe ſubito praeter omnem opinionem coincidunt cauſae praeternaturales. Ergo non tuto plethorae fidere licet, vt iamdiu venerabilis Senex monuit dicens: *Repletiones ad ſummum progreſſae ſunt periculoſae. S. 1. Aph. 3.*

§. VIII.

Plethoram hodie eſſe frequentem ex obſeruationibus ipſis clariſſime intelligimus, quando accurate ad diſpoſitionem corporis & reliquarum circumſtantiarum conditionem, praeſertim rationem vitae generis, quae omnia ad plethoram multum contribuunt, reſpicimus. Namque eam efficiunt omnes conditiones & corporis & vitae generis, vt & alimentorum, quae anſam praebent, vt largior ſanguinis copia conficiatur, ac ſimul illa ob defectum motuum animalium, quibus alias attenuatio & conſumtio humorum per tranſpirationem promouetur, retardetur, quoniam parua ſanguinis quantitas tranſpirabilis redditur. Hinc deſidia & luxuries corpora ad plethoram diſponunt. Quod in animalibus quoque videmus, quando haec ſaginantur, tunc alimentis oleoſis, blandis & quiete opus habent, & ſic pingueſcunt; alias, ſi continuo corpora mouent, licet laudabili pabulo fruantur, gracilia tamen manent; his enim actionibus ſaepe repetitis, ope motus & attritus partes chyloſae iterum attenuantur ac reſoluuntur, vt prompte e corpore exhalare poſſint. Ex qua cauſa ruſtici & operarii rariſſime plethora corripiuntur. Contra homines in aulis principum laute & molliter viuentes facile euadunt plethorici.

§. IX.

Praecipua itaque plethorae cauſa eſt naturalis corporis diſpoſitio, in qua nempe vaſa & viſcera chylificationi inſeruientia adſunt fortia, quae maiori vi in aſſumta agunt,

vt

vt illa ab humoribus lymphaticis perpetuo hic affluentibus emulgeantur, exhauriantur ac in chylum blandum immutentur. Propterea vbi bona naturalis diatheſis, ſcilicet vt manducatio ciborum cum affluxu ſaliuae copioſo bene peragatur, vt vis contractilis ventriculi & inteſtinorum adſit fortis, in quibus ſimul ſine impedimento lympha elaborata ſecernitur, nec non perpetuo in inteſtina liquida iam ſecreta, vt bilis amara bene cocta & ſuccus pancreaticus, influant, & nulla viſcerum obſtructio deprehendatur; ibi digeſtio & reſolutio ciborum eſt facilis, & concoctio prima rite celebratur, ex qua elaboratus chylus emergit. Hac ratione vaſa ſanguifera largius implentur, quae dein ob plenitudinem in nouum chylum bene confectum lente agunt, eumque non diſſoluunt, vt tranſpirabilis fieri poſſit; & ita humorum coctorum ſenſim in corpore ſuboritur accumulatio.

§. X.

Ad diuturniorem quoque ſuſtentationem particularum in ſanguine chyloſarum ac ſeroſarum plurimum vaſa ſanguifera laxa praeſertim venoſa faciunt, quae lentam & blandam humorum inducunt circumvectionem, quia maior quantitas ſanguinis in venis retinetur, & lentius promouetur; & ita e diuerſo parua ſanguinis quantitas per arterias ſubſtantia ſua ſuccoſas & repletas mouetur. Inde exſpiratio & conſumtio humorum fit minor, quia attritus, compreſſio valida atque attenuatio in vaſis ſecretoriis deficiunt. Eadem iam dicta in tali corpore non exacte peraguntur, quando ab aliqua cauſa irritante liquida vitalia violenter verſus cor deriuantur, vt hac ratione arteriae largius impleantur ac turgeſcant; iis enim nimis repletis & diſtentis, elaſticitas vaſorum ſeu fibrarum contractilitas valde imminuitur, quia vis diſtendens liquidorum eſt maior, quam vis contrahens ſolidorum.

§. XI.

Sed alimenta blanda boni ſucci, quae breui via concoquuntur, ac in perfectum chylum transmutantur, dant materiem, & ſimul ad bonam chylopoeiſin requiruntur: vt ſunt partes animalium iuniorum recentes domeſticorum & ferinorum temperate pingues, paucis exceptis, quae nempe nimis viſcoſum & oleoſum lentum principium poſſident, vt eſt caro ſuilla & partes animalium valde pingues, quae difficilius in chylum reſoluuntur, & facile ſanguinem vitioſum reddunt. Verum ad plethoram generandam magis hic congruunt carnes recentes praeparatae & quoque coctae, earum iura recentia parum ſalita & minus oleoſa, horum vis nutriens plus augetur, & ad diutinam in corpore retentionem diſponitur, quando cum farinoſis ſubtilioribus coquuntur, vt ſunt flos tritici, ſemina Auenae, Hordei, Fagopyri, Oryzae, Mays, Milii præparata & his ſimilia. Quae actione viſcerum in laudabilem chylum facile conuertuntur. Ipſorum vires nutrientes recentium nec coctorum ouorum additione multiplicantur, quorum omnium digeſtio ac aſſimilatio aromaticis paucis & blandis adiuuatur. Praecipua ſunt Cinnamomum, Cardamomum, Macis, Nux myriſtica & his ſimilia.

§. XII.

Tempus plethorae plerumque eſt in ſexu ſequiori poſt 18. in nobiliori vero poſt 24. annum, quod vsque ad 50. in foeminis, & ad 60. ſaepe in maribus durat. Ratio eſt in promtu; quia cum antea corpus adhuc augmentum caperet, neceſſario maior alimentorum & nutrientium quantitas requirebatur & conſumebatur; cum vero ad ἀκμὴν corpus peruenerit, circa horum annorum tempora plerumque deſinit creſcere. Attamen viſceribus ſanis ac fortibus

tibus homo potens eſt ad eandem ciborum quantitatem appetendam & concoquendam, ex quibus quoque maior chyli quantitas conficitur, quam ad corporis ſuſtentationem & refectionem neceſſaria eſt, quia corpus non vlterius extenditur, inde breui abundantia humorum in corpore exiſtit.

§. XIII.

Prae aliis quoque ſanguinea temperies naturalis ad plethoram inclinat, quae nempe carne molli, copioſa, venis amplis, coeruleis & ſanguine diſtentis praedita eſt; & ſic in huc diatheſis corporis occaſionem ad plethoram & generandam & augendam praebet. Siquidem ſanguinei naturaliter viſceribus validis gaudent; ii itaque multum chylum conficere, eumque in bonum ſanguinem concoquere poſſunt. Nec mirum, cur in iisdem & mulieribus, quae plerumque ſunt eiusdem complexionis, abundantia ſanguinis ſaepiſſime, excretionibus cruoris ſuppreſſis, deprehendatur.

§. XIIII.

Plethoram maxime etiam fouet ſomnus multus; in ſomno enim quieto ac placido actiones animales plane ceſſant, earumque muſculi & organa ita quieſcunt, vt per illa ſpiritus vix fluant, eorundemque conſumtio fiat minor: canales minimi, & fibrae, maiora vaſa conſtituentes, minus atteruntur, parumque mutantur; & ita aequalis motus tam in ſolidis, quam in fluidis, nec vlla notabilis mutatio obſeruatur. Actiones vero vitales fiunt validiores ac aequabiliores, & per arterias maiores & ſanguiferas circuitus abſoluuntur liberius; etenim hae arteriae ſunt laxiores, ingreſſui ſanguinis patentiores, atque ab actionibus muſculorum non impediuntur. Inde arteriarum rami minimi laterales ſenſim implentur, minus traiiciunt, &

tandem fere quieſcunt cum collectis ſuis liquidis; folliculi itaque laterales adipoſi lentiori oleo opplentur, diſtenduntur, vt & folliculi glandularum. Sic circuitus humorum per ſola vaſa ſanguifera ſenſim lentiores abſoluuntur, & ſi nimis diu protrahuntur, vix notabiles ſunt. Ex his dictis vires ſomni moderati perſpicue intelliguntur: in illo nempe materies chyli in ſerum, hoc in tenuiores humores, iique in nutrimentum quam optime commutantur; quippe quibus omnes partes poſt expergefactionem a ſomno implentur, vt perditi humores facillime reſtituantur, ſimulque eadem ratione multa liquida blanda & nutrientia generentur atque in corpore accumulentur, quae tamen corpus quietum & laboris inſuetum conſumere & diſpergere nequit. *Conf. venerab. Boerhaave de ſomno.*

§. XV.

Ad plethorae augmentum plurimum facit animus ſedatus, dolorum & curarum expers, qui liquida in moderato motu conſeruat, attenuationes humorum eorumque diſſipationes moratur, dum ſemper aequalis & temperatus ſit circuitus. Ita quietus animus, nec appetitum proſternit, nec concoctiones & nutritiones turbat; ſed potius hoc modo omnes functiones animi & corporis in iuſto moderamine ac tenore ſeruantur. Inde neceſſario appetitus alimentorum fit fortior, & illorum placida ac perfecta chylopoeiſis bene peragitur, vberior chyli quantitas viſceribus ſanguificationi ſeruientibus porrigitur, iisdemque integris & fortiter agentibus, feliciſſime copioſus ſanguis paratur. Ex iisdem quoque rationibus coelibatus ad plethoram inclinat, praeſertim ſi homines ſecuro & incurioſo animo praediti ſunt, ac ſimul diaeta lauta fruuntur.

§. XVI.

Quamuis hae cauſae in praecedentibus iamiam deſcri-

ſcriptae adſint; attamen ad plethoram producendam non ſufficiunt, & raro aut nunquam eam gignunt, niſi quies muſculoſa ſimul in corpore accedat, & actiones muſculorum tranquille celebrentur, vt quotidiana experientia edocemur in animalibus perpetuo laborantibus; quae enim continuos labores ferunt, & ita articulorum & muſculorum motus frequenter exercent, nec ſanguine abundant, nec pingueſcunt. Sed ſaepius repetita muſculorum & vaſorum conſtrictio partes iam quieſcentes & appoſitas iterum de nouo atterit, circulatione eas magis reſoluit, atque tranſpirabiles reddit.

§. XVII.

Haud difficulter tempore hyemali ſanguis ſuperfluus exiſtere ſolet ac facile generatur, dum iſti homines ad plethoram procliues in aeſtate & autumno quibusdam functionibus dediti ſunt, quibus perpetuo ſanguinis ſuperflui conſumtio efficitur; aſt in hyeme placate viuunt, in locis temperate calidis ſe ſuſtinent, ac ſimul diaeta lauta & opipara cum animi tranquillitate fruuntur. Dein accedit frigus externum poros cutis conſtringens, tranſpirationem imminuens & retardans; interim actiones viſcerum internorum hac ratione adaugentur, quia maior ſanguinis quantitas ob frigus externum per iſta transiicitur, humores asſimilationi & concoctioni primae ſeruientes, copioſiores & elaboratiores ſecernuntur: exinde appetitus exoritur maior, digeſtio optime abſoluitur, & paulatim neceſſario ſanguis bonus & abundans naſcitur.

§. XVIII.

Attamen tempus aeſtiuum plethorae non alienum eſt, praeſertim menſibus Maii, Iunii & Iulii; quando nempe eodem tempore calor ſolis humido aere mitigatur, temperies euadit temperata, conſumtio humorum fit minor,

concoctio viſcerum & appetitus fortior, & ita generatio ſanguinis maior. Praeterea his temporibus celebres ſunt dulces variationes & ſuaues oblectationes hortenſes inſtitutae, quae ſimul cum diaeta lauta coniunctae geruntur, quibus facili negotio efficitur, (quando reliquae etiam circumſtantiae iam deſcriptae coincidunt,) vt plethorae plenum pabulum porrigatur.

§. XIX.

Euacuationes ſanguinis naturales conſuetae iam vero ſuppreſſae, vel & artificiales ſaepius inſtitutae, & ſubito omiſſae plethoram creant. Hoc clare in iſtis hominibus cernimus, qui omni menſe certa ſanguinis quantitate vel naturaliter per vterum aut hoemorrhoides, vel artificialiter per ſanguinis euacuationes inſtitutas orbantur; hae enim ſuppreſſae ſiue ſubito omiſſae poſt aliquot menſes homines reddunt plethoricos, niſi aliquo morbo bona chylopoeiſis impediatur. Sic multi homines vtriusque ſexus, alias ſani, nunc autem excretionum aſſuetarum ſuppresſione laborantes, abundantia ſanguinis obruuntur, vt dein mox ob ſanguinis in variis viſceribus congeſtiones aegrotent, & inflammationibus facile obnoxii ſint. Nec non mulieres grauidae factae, alias largiori fluxu menſtruali praeditae ſecundo aut tertio menſe plethoricae euadunt. Nam ad nutritionem foetus adhuc parui eiusmodi ſanguinis copia minus neceſſaria eſt, nec conſumi poteſt. Hinc ſi venae ſectio non celebratur, quarto menſe alicuius morbi inflammatorii exortus & abortus periculum metuendum eſt. Ratio in aprico iacet, quia natura his euacuationibus adſueta perpetuo allaborat ſanguinem deperditum reſtituere. Euacuatio quidem ſupprimitur, ſed natura in iisdem viribus perſiſtens non adſueſcit, minorem ſanguinis quantitatem conficere, quam deſideratur. Exinde eius copia in corpore magis augetur; vt experientia

con-

conſtat, quod & artificiales & naturales euacuationes ſaepius repetitae, & dein ſenſim omiſſae aut retentae ad plethoram corpora diſponant; immo vidimus macilenta corpora poſt V. S. frequenter inſtitutas, ac dein ſenſim retardatas, pingueſcere.

§. XX.

In his etiam corporibus, quibus aliqua pars aut fato detruncata, aut arte extirpata eſt, plethora ſaepe numero obſeruatur. Quae plethora gignitur partim propter horum hominum generis vitae mutationem, (cum conditiones corporis iam non permittunt, vt conſuetis prioribus laboribus incumbere poſſint;) partim propter quietem ipſam, cui nolentes volentesue indulgeant, vt hoc modo ob motuum animalium defectum parum ſanguinis conſumatur. Interim quoque multum adfert ad plethoram ipſa priuatio illius partis corporis, quae olim conſtanter humoribus circulantibus humectabatur, ſed haec particularis circulatio plane ſublata eſt, & tamen functiones viſcerum chylopoeorum conſtantes manent, ac fere eandem ciborum quantitatem, vt antea, deſiderant, ex quibus vero bene digeſtis abundantia humorum exoritur.

§. XXI.

Plethora a ſuis cauſis paulatim producta, & ab euacuationibus conſuetis iam ſuppreſſis non oborta §. 19. tranquille fota ac ſuſtentata, non facile corpori aliquam noxam infert, vt hoc acriter *Bontekoe* defendit, donec tandem repletio corporis nimia fibras muſculares ad motus ineptiores reddat, vt inde circuitus omnium humorum lentius abſoluantur, & noua chyloſa adhuc tenacia & cruda in ſanguinem delata, liquida ob defectum actionum animalium & vitalium parum immutentur, ſui iuris fiant, concreſcant, tenaciora & inertiora euadant, ſolida con-

ſtituant debilia, cellulas adipoſas oppleant, obeſitatem & oleoſa in corpore aggregent, inertiam humorum, torporem, pigritiam, tandem leucophlegmatiam & in fine ſuffocationem circulantium humorum, praeſertim motu aucto, efficiant. Si itaque talia corpora in calida tempeſtate valide mouentur, tunc ob humorum rarefactionem ſuffocatio circulationis facile metuenda eſt. Quod optime laniones in animalibus ſaginatis obſeruarunt, ſi ea fortiori motu vrgentur, omnis pinguedo rubeſcit ac inflammatur, & tandem vitales viae atque reſpiramina clauduntur. Quod etiam perſpicue videmus in equis pinguibus acriter currentibus, tunc illi citius ſuffocantur quam graciles. Nobiſcum conſentit Magnus *Hippocrates*, dicens: *obeſi breuiori vita fruuntur, quam graciles. S.2.aph.44.* Attamen in corpore adhuc vegeto ac robuſto plethora eſt vt cauſa προηγουμένη, quae data occaſione ſeu cauſa excitante periculoſiſſimos effectus producit. Sic quaelibet cauſa motum ſanguinis maiorem efficiens corpus ad graues morbos diſponit, vt ex ſubſequenti clarius patebit. Eſt vero notiſſimum, hominum conditiones ita conſtitutas non eſſe, vt commode omnis ſanguinis violenta commotio euitari poſſet, propter perpetuas rerum non naturalium mutationes. Quaelibet enim irritatio corporis ſanguinem celerius mouet ac rarefacit, a quo reliqui effectus dependent. Illa vero ab alimentis calidis largiter ingeſtis, potulentis ſpirituoſis hauſtis, calore externo, affectibus animi, vehementi corporis motu, contagiis acutarum febrium, medicamentis acribus & roborantibus aſſumtis facile euenit. Vno verbo quaecunque in rerum natura deprehenſa ac virtute ſtimulante praedita ſunt, illa corpus humanum afficere, atque eadem ratione motum liquidorum adaugere valent. Motus itaque nimis auctus ſummum vitae periculum minitatur. Maxime vero ſubitae mutationes ſex rerum non naturalium & contrariorum repentinae applica-

plicationes valde periculoſae ſunt, dum acutas omnium partium corporis inflammationes producere valent. Praeterea plethora ab euacuationibus ſanguineis naturalibus etiam ſuppreſſis ſenſim generata corpus mox grauat, multasque turbas in eo efficit; quia natura conſuetos exitus quaerit, adeo, vt ſanguinis congeſtiones viſcerum, §. 19. dilatationes & ruptiones vaſorum, locis ſaepe incongruis fiant §. 22. in fine.

§. XXII.

Plethorae itaque effectus ſubito periculoſi ponunt ſemper motum auctum, qui rarefactionem humorum efficit, a qua reliqua ſymptomata vt effecta pendent. Si ergo aliquis corpus ſuum fortius mouet, quam alias conſuetum eſt, tunc fiunt fortiores conſtrictiones muſculorum, quibus ex propria eorum ſubſtantia & venis circumiacentibus ſanguis exprimitur & verſus cor deriuatur: ex quo ille mox iterum expellitur in arterias maiores, quae multo ſanguine diſtentae ac impletae pulſum magnum ac plenum edunt: ab his minores arteriae ſecretoriae opplentur: corpus incipit rubere, ſenſimque color partium fit intenſior ac rubicundior, indeque attritus & calor totius corporis magis magisque augentur, dum nempe vaſa minima arterioſa globulis expanſis, ac numeroſis obruuntur, vt tam cito atque libere per vaſa fluere nequeant, quam cum impetu impellantur. Hinc globuli ibi haerentes inter ſe & cum vaſis valide attriti caloris augmentum pariunt, qui reliqua liquida, & vaſa maiora magis expandit; minima vero comprimit, adeo, vt arteriae ſanguiferae, ſeroſae, & quaedam lymphaticae dilatentur; arteriae vero minimae earundem membranas conſtituentes arctentur & premantur. Vnde ſequitur corporis debilitas & laſſitudo, vt effectus motus febrilis: transfuſo enim in arterias ſanguine

febrium

febrim fieri, iamdiu Eraſiſtratus dixit, idque nimis repleto corpore incidere. *Celſus de Medicina in praefat. p. 17.*

§. XXIII.

Interim ſecretiones in vaſis turbantur & mutantur, quia arteriae ſanguiferae plus tument, quam circulationis lex ferre poteſt. Vnde orificia ramorum lateralium ex ſanguiferis prouenientium minus dilatantur, ita, vt ſanguinis globuli in arterias alienas nempe ſeroſas, & ſphaeruli ſeroſi in lymphaticos ingrediantur; quibus efficitur, vt omnes ſecretiones humorum varientur & plane peregrina liquida, & inſueta ſecernantur, quae eſt anaſtomoſis, vt fit in profluuio ſanguinis menſtruali naturaliter, ſed contra naturae ordinem in haemoptyſi, vt *illuſtr. Wedel. in diſſ. de hoc morbo clariſſime domonſtrauit.*

§. XXIV.

Praeter haec liquida rarefacta quoque, ob vaſorum diſtentionem validam, circuitus liquidorum vitalium interdum plenarie ſuffocant; arteriae enim repletae ac maiores factae venas circumiacentes comprimunt, & ita ſummum periculum minitantur, dum maxima ſanguinis pars in arterias deriuatur, ibique diutius retinetur, praeſertim in iis locis, vbi venae cedere non poſſunt. Quod videmus in cranio, ibi omnia ita impleta ſunt, vt vix granum ſabuli immitti poſſit. Si itaque venae in cortice cerebri ab arteriis expanſis comprimuntur, apoplexia ſuboritur, nullo ſanguine effuſo ac vaſe disrupto, ſed a ſolo motu ſanguinis ibi ſuffocato. Vt vidimus in viro plethorico, qui in calida tempeſtate ſpirituoſum vinum cum amicis biberat, a quo ſomnolentus & rigidus erat factus; qui tamen, corpore paululum refrigerato, ad ſe redibat, vt ab amicis domum duci poſſet. Sed poſt V. S. largam adhibitam perfecte reſtitutus, & a malo periculoſo liberatus eſt.

§. XXV.

§. XXV.

In quibusdam corporibus ſtructura molli praeditis, diſtentio ſanguinis rarefacti (*a*) *diaereſin* vaſorum in variis locis producit; ſi in partibus externis fiunt, valde ſalutares ſunt, quia copia ſanguinis imminuitur, & aequilibrium ſolidorum & fluidorum reſtituitur. Ruptiones vero arteriarum interne factae, maxime in cerebro, mortem praenuntiant, quae mox ſenſuum imminutione ac abolitione ſe manifeſtant. Propterea dolores capitis fixi, vertigines, anxietates & inquietudines nocturnae apopplexiam futuram in plethoricis indicant, & hic feſtinandum eſt, alias ſero medicina paratur.

(*a*) *Conferatur illuſtr. Wedelius de haemoptyſi.*

§. XXVI.

Obſeruationes Practicorum quoque docent, quod a ſanguine abundante & commoto in multis etiam locis inflammationes exoriantur; liquida enim iam rarefacta & cum impetu in arterias ſecretorias impulſa, ob frequentiorem motum & copiam eorum facile in vaſis ſiſtuntur, ibique haerent, fit obſtructio & a motu fortiori continuato inflammatio partium, vt hepatis, (vnde icterus varius) renum, quae dein, ſi obices obſtruentes non perfecte reſoluuntur, & tantummodo moleculam paruiſſimam relinquunt, ad generationem calculi ſemper diſpoſitionem facit, ſed a pulmonum inflammatione varia ſymptomata & mala difficulter ſanabilia proueniunt. Ab inteſtinorum phlegmone colica atrox, ſuppuratio, dyſenteria purulenta, haemorrhoides coecae, gangraena & multa alia mala ortum ſuum habent. Hae inflammationes ſibi relictae cum motu temperato ſuppurationes magnas ob copiam humorum in corpore efficiunt. Sed dein materia ſuppurata, in partibus internis haerens, in ichorem tenuem fi-

ſtulas & febrim hecticam creantem, facile reſoluitur. Circuitus vero humorum nimis auctus validas inflammationes viſcerum, in gangraenam ſphacelumue cito vergentes, producit. Praeprimis autem plethorici contagio febrili aut alio acuto morbo correpti in diſcrimen vitae veniunt, præſertim, quando vel ab arte medica deſtituuntur, vel euacuatio ſanguinis larga in initio negligitur, tertio vel quarto die pereunt, totum corpus purpuraſcit, aut maculae purpureae gangraeneſcentes illud deturpant, ac futuram mortem praeſagiunt.

§. XXVII.

Diagnoſis plethorae cognoſcitur ex diſpoſitione corporis, vitae genere praegreſſo, euacuationibus interceptis & reliquis circumſtantiis vberius ſupra explicatis. Dein ex ipſis effectis, quae eueniunt, ſtatum plethoricum diiudicamus, ſcilicet corpus exercitiis aut laboribus paululum motum, mox laſſitudine & torpore membrorum laborat, caput dolet, habitus corporis rubet, & tumet a liquidis commotis & rarefactis; adeſt pulſus magnus & plenus cum anheloſa reſpiratione atque praecordiorum anxietate. Ex quibus praeſentiam plethorae certiſſime ſcimus.

§. XXVIII.

Prognoſis futurorum malorum intelligitur ex omni cauſa, quae ſanguinem & rarefactum & mobiliorem reddit. Videmus nempe hominem plethoricum in reliquis quidem ſanum, ſed in eo motus auctus ſolum accedit, qui humores abundantes excitat, vt inde eorundem rarefactio eueniat, ſuboritur diſtentio vaſorum & expanſio liquidorum, partes tument, rubent, ac facile inflammantur. Inde quoque dilatationes & rupturae canalium cum contentorum effuſionibus ſuccedentes praeuidentur. In cerebro ſola violenta impletio arteriarum functiones cerebri ſiſtit,

eius-

eiusque ſecretiones impedit, ſequitur vertigo, apoplexia & lethargus lethalis. Legi merentur *Wepferi Obſeruationes de Apoplexia.* Sic etiam quaelibet acria, aromatica, ſpirituoſa & calida hauſta hac ratione agunt, maſſam ſanguineam rarefaciunt, effecta iam recenſita inducunt, & eam ad diatheſin viſcerum inflammatoriam cito diſponunt. Sed plethoricis ſummum periculum ſine omni dubio affert omne febrium acutarum contagium, quod his corporibus communicatum ſtatim grauia ſymptomata producit, vt dolorem capitis vehementem, grauitatem corporis, appetitus & omnium virium proſtrationem, inflammationes viſcerum validas, anxietates & deliria; hae febres ſibi relictae tertio vel quarto die mortem pariunt.

§. XXIX.

Perpenſatio ac contemplatio cauſarum & effectuum plethorae nobis viam ad curationem horum morborum haud difficilem demonſtrant. Licet quidam reperiantur, qui hanc methodum maiora mala praecauendi reiiciunt; attamen ipſa rationibus ſufficientibus fundata, & repetita experientia confirmata eſt. *Sanctorius* quidem, medicus Italus olim celeberrimus, in medicina ſtatica contrariam ſententiam fouit, & euidenter docuit, breui tempore libram vnam ex M. S. exhalare poſſe, indeque concludit: V. S. eſſe minus neceſſariam ac plane inutilem. Nam tranſpiratio cum abſtinentia alimentorum breui tempore ſuperfluos humores in corpore ad aliquot libras imminuit. Verum quidem eſt, tranſpirationem conſumere ſanguinem, ſed qualem! tenuem tantum & tranſpirabilem, craſſum vero remanere, ergo plethora hac ratione non tuto ſolui poteſt, quae in tenaciori & glutinoſiori ſanguine conſiſtit: fluidiores enim ſanguinis partes exhalant, fixiores vero remanent, ſuboriturque diatheſis inflammatoria; ergo tranſpirationi nulla fides eſt habenda. *Illuſtr. van Hel-*

 mont

mont chemicus famigeratiſſimus demonſtrationem Sanctorii approbat, V. S. vero crudelem & inutilem operationem eſſe, putat, ſed potius inedia & calore febrili plethoram eſſe imminuendam. *c. 4. de inaudita febrium doctrina. Bontekoe* chirurgus & medicus doctiſſimus in *ſua chirurgia c. 2.* acerbas ac contumelioſas voces contra eos emittit, qui in acutis morbis V. S. ſuadent, & in hac ſententia eſt, plethoram rariſſime adeſſe, venae ſectionem quoque aegrotos tantum eneruare, credit.

§. XXX.

Sed natura ipſa nobis hanc viam oſtendit, quam tutiſſime ſequamur; eſt v. gr. vir 26. annorum robuſtus & ſuccis plenus, atrocibus capitis doloribus affligitur, facies rubet, pulſus adeſt magnus & plenus, hic ſibi relictus certe circa vitae periculum verſatur, ſed natura opem affert, dum nempe ruptionem arteriarum in naribus efficit, ſanguis largiter fluit ad libram vnam circiter, facies incipit pallere, dolores ceſſant, atque ſic in integrum iterum reſtituitur. Medici ratione & experientia adducti eodem modo ope artis aperturas vaſorum ſanguiferorum fecerunt, & illae effuſiones ſanguinis morborum vehementiam imminuerunt, quod experientia nos quoque cum optimo ſucceſſu docuit. Sic *venerabilis Boerhaavius* & cum eo plurimi medici V. S. largam approbant. Propterea ſecuriſſime ſtatuimus, has indicationes, ad plethoram imminuendam, & perniculoſa mala praecauenda, adhibendas eſſe. Scilicet 1. Sanguinis copia ilico eſt minuenda. 2. eiusque cita regeneratio impedienda.

§. XXXI.

Primae indicationi ſatisfaciunt, V. S. larga ex apertura magna inſtituta, vt fiat dein humorum libera circulatio, & elaſticitas vaſorum a rarefactione liquidorum nimis dilatata & debilita-

bilitata reſtituatur. *Bontekoe* quidem eiusque aſſeclae clamant contra nos: *o homicidae! omittite tamen ſanguinis effuſiones, ne homines imprudenti veſtra curatione interimantur.* Sed quid eſt hic faciendum! hae contnmeliae nos non abſterreant; de hoc curandi ratione certiſſimi ſumus, nec ſalva conſcientia eam omittere poſſumus. Nil obſtat, cum *venerabili Boerhaavio* V. S. largam animoſe inſtituimus, contradicentes loquuntur contra experientiam, & non naturam, motus ſanguinis, eiusque effectus attendunt, & ſi illorum experimenta cum triſti euentu ſuccedunt, malignitas in culpa eſt, & ab illis rectiſſime accuſatur, ſed an illa non praecaueri potuerit, eſt alia quaeſtio.

§. XXXII.

Dein 2. exhibentur lenia laxantia, quae humores ſoluunt, & ſimul euacuationes per aluum & vrinam promouent, vt ſunt fructus maturi acido dulces, ſuccus vuarum maturarum expreſſus & condenſatus ad vncias IV., mel cum aqua ſalita calide pota, ſal polychreſtus ad ſcrupulos IV. cum aqua ſaccharata, ſtibium nitratum, radix galappae ad drachmam ſemis cum ſaccharo bene trita & combinata ſanguinem aquoſum & tenuem reddunt. 3. Sanguinem quoque imminuunt poſt V. S. rite celebratam motus muſculorum aucti; huc pertinent omnes actiones corporis ſaepe repetitae, eius frictiones, labores & exercitia frequenter exculta. Dein medicamenta acria, aromatica & amara, qualia ſunt primaria; cortex Aurantiorum, Citri, Caryophillus aromaticus, Cardamomum, Centaurium minus, Carduus benedictus, Cinnamomum, Galanga, Nux myriſtica, Origanum, Piper, Serpillum, Thymus, Zingiber & haec ſimilia conueniunt. Quibus cibi potusque commode condiri poſſunt, vel pani, vino & cereuiſiae maxime ex tritico confectae fermenteſcentibus miſta proſunt; vel

cum vinis maturis & bene defoecatis infunduntur; vel vt infuſa theiformia tepide pota exhibentur, quae ſanguinem craſſum reſoluunt ac perſpirabilem reddunt. Salia alcalica aut in ſpirituoſis menſtruis, vt ſunt tincturae antimonii, ſalis tartari, eſſentia lignorum cum alcali parata &c.; aut ſalia in aqua ſoluta ſanguinem attenuant, particulas oleoſas abſorbent, & corpora macilentiora faciunt. Eodem modo agunt cibi acribus conditi, vt ſunt Sinapi, Cochlearia, Naſturtium, Cepa, Armoracia &c. haec humores iam ſolutos magis diſpergunt, vt accuratus obſeruator *Sanctorius Sect. 3. medicinae ſtaticae* annotauit. Interim vigiliae multum etiam humorum conſumunt, & tranſpirationem, reliquis iam dictis bene adhibitis, adaugent.

§. XXXIII.

Altera indicatio abſoluitur, 1. ſi talia remedia §. 32. n. 2. & 3. iam laudata per aliquod tempus continuantur, ac ſimul alimenta tenuia facileque diſpergentia ingeruntur, glutinoſa vero ac nimis gelatinoſa omni ſtudio euitantur. Dein actiones muſculorum diligenter excultae accumulationem humorum impediunt. Quod clare cernimus in ſexu ſequiori; nam foemellae laboribus deditae ſerius abundantia ſanguinis laborant, & ſaepe poſt vigeſimum annum menſtrua in iis primo erumpunt. Alias virgines molliter & laute viuentes iam duodecimo anno ſaepe citius largiori menſtruali fluxu donantur. 2. Euacuationes adſuetae ſenſim ſenſimque parciori quantitate inſtituuntur, ac tandem plane omittuntur.

§. XXXIIII.

Haecce methodus in principio malorum accurate & circumſpecte in vſum vocata, plura futura & ſaepe immedicabilia mala praecauet. Multa quidem adhuc reſtant,

quae

quae ad effectum & ſymptomatum curationem requiruntur; ſed haec optime ex hiſtoria ipſorum morborum, vbi de eorum natura atque cura exactius agitur, hauriuntur.

COROLLARIA.

Vera plethora non ſemper ſtatum morboſum indicat, ſed ſaepe vt cauſa morbi agit ſine qua non.

Plethora commota facile morbos periculoſos parit.

Debilitas & grauitas partium vel a defectu ſpirituum, vel a vaſorum minimorum compreſſione proueniunt.

Inter nutritionem & repletionem magna eſt diſtinctio, illa corporis vires auget, haec vero eas imminuit.

Maſticatio ciborum ad bonam chylopoeiſin eſt neceſſaria.

Temperatus motus ad ſanitatem conſeruandam optime conuenit.

Diaeta ex animalibus breui humores deperditos reſtituit.

Imminutio ſanguinis in morbis ſaepe eſt difficilior, quam reſtitutio.

Aetas media prae aliis ſanguine diues eſt.

Haemorrhagiae in ſanis exiſtentes vel ab anaſtomoſi vel diaereſi proueniunt.

Somnus rectiſſime vocatur alterum nutrimentum corporis.

Otioſus ac tranquillus animus ſaepius ad palatum aliquid deſiderat.

Labores & animi curae plethorae impedimento ſunt.

V. S. ſenſim imminuta homines reddit pingues.

Animalia pinguia in calida tempeſtate valide mota facile ſuffocantur.

Motus auctus primario plethoricis eſt infeſtus.

Sola V. S. larga plethoricorum vitam conſeruat, pauca ſanguinis effuſio inſtituta magis eſt periculoſa.

Calor

Calor corporum ab attritu partium prouenit, eo aucto calor augetur eo imminuto ſuboritur frigus. Ergo non datur calor natiuus.

Omnia liquida cuiuscunque naturae in vna eademque aeris temperie aſſeruata, aequali caloris gradu gaudent, vt Thermometra demonſtrant.

Cita ſanguinis ex venis verſus cor propulſio, facile excitat febrim.

Repletio cerebri violenta eſt omnium periculoſiſſima.

Sola compreſſio cerebri ab abundantia humorum, vaſis adhuc integris, prouenieus, apoplexiam efficit.

Plethoricis contagia febrium acutarum maxime obſunt.

Motus auctus Sanguinis facile diatheſin inflammatoriam creat.

Malignitas morbi conſiſtit in corruptione liquidorum & deſtructione ſolidorum.

Liquida in febribus acutis per ſudorem expulſa, obſtructiones & inflammationes viſcerum lethales ob incraſſatum ſanguinem pariunt.

Alcali humores corporis reſoluit & putridos reddit, ergo nunquam eſt balſamicum multo minus vniuerſale reſtauratiuum, ſed ſemper ad putrefactionem liquida ſana diſponit.

Acria conſumunt liquida in corpore & motus febrilet excitant.

Ergo ab iis nulla reſtauratio eſt expectanda.